

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XXVI. De Societate.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

C. loc. (a) Qui Conductorem, ante finitum tempus locationis conductionis, expellere queunt, juxta vulgatum, *Kauff gehet vor Miethe.*

TIT. XXVI.

*De Societate.**Divisio a materia.*

Ex Ulp. l. 5. pro socio. SOCIETATEM coire solemus aut totorum bonorum, quam Græci specialiter *κοινωνία* appellant; aut unius alicujus negotiationis, veluti mancipiorum vendendorum emendorumque, aut olei, aut vini, aut frumenti emendi vendendique.

De partibus lucri & damni.

1. Et quidem, si nihil de partibus lucri & damni nominatim convenerit, æquales scilicet partes & in lucro & in damno spectantur. Quod si expressæ fuerint partes, hæc servari debent. Nec enim unquam dubium fuit, quin valeat conventio, si duo inter se pacti sint, ut ad unum quidem duæ partes & lucri & damni pertineant, ad alium tertia.

De partibus inæqualibus.

Ex Paulo l. 30. pro socio. 2. De illa sane conventionem quæsitum est, si Titius & Seius inter se pacti sunt, ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia; ad Seium duæ partes damni, lucri tertia: an rata debeat haberi conventio? Quintus Mutius contra naturam societatis talem pactioem esse existimavit, & ob id non esse ratam habendam. Servius Sulpitius, cujus sententia prævaluit, contra sensit: quia sæpe quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti. Nam & ita coiri posse societatem non du-

(a) *Emtorem fundi necesse non est stare locationi prioris Domini, nisi ea lege emit. l. 9. C. loc.*

bita-

bitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet. Et adeo contra Quinti Mucii sententiam obtinuit, ut illud quoque constiterit, posse convenire, ut quis lucri partem ferat, de damno non teneatur: quod & ipsum Servius convenienter sibi fieri existimavit. Quod tamen ita intelligi oportet, ut, si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit; compensatione facta, solum quod superest, intelligatur lucro esse.

De partibus expressis in una causa.

3. Illud expeditum est, si in una causa pars fuerit expressa: veluti in solo lucro, vel in solo damno, in altera vero omissa; in eo quoque, quod prætermisum est, eandem partem servari.

Quibus modis societas solvatur. 1. De renunciatione.

4. Manet autem societas eo usque, donec in eodem consensu perseveraverint. At, cum aliquis *renunciaverit* societati, solvitur societas. Sed plane si quis *callide* in hoc renunciaverit societati, ut obveniens aliquod lucrum solus habeat: veluti, si totorum bonorum socius, cum ab aliquo heres esset relictus, in hoc renunciaverit societati, ut hereditatem solus lucrifaceret: cogitur, hoc lucrum communicare. Si quid vero aliud lucrifaciat, quod non captaverit, ad ipsum solum pertinet. Ei vero, cui renunciatum est, quicquid omnino post renunciatam societatem acquiritur, soli conceditur.

2. De morte.

5. Solvitur adhuc societas etiam *morte* socii, quia, *Ex Paulo* qui societatem contrahit, certam personam sibi eli- *l. 65. §. 9.*
git. Sed & si consensu plurium societas contracta *pro socio.*
sit, morte unius socii solvitur, etsi plures super sint;
nisi in coeunda societate aliter convenerit.

3. De fine negotii.

Ex d. l. 65. §. 9. ff. pro socio. 6. Item, si alicujus rei contracta societas sit, & finis negotio impositus est, finitur societas.

4. De publicatione.

Ex d. l. 65. §. 12. pro socio. 7. Publicatione quoque distrahi societatem, manifestum est: scilicet si universa bona focii publicentur: nam, cum in ejus locum alius succedat, pro mortuo habetur.

5. De cessione bonorum.

8. Item, si quis ex focii mole debiti prægravatus, bonis suis cesserit, & ideo, propter publica aut privata debita, substantia ejus veneat, solvitur societas. Sed hoc casu, si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas.

6. De dolo & culpa a socio præstandis.

Ex Ulp. l. 52. §. ult. & Cajo l. 72. ff. pro socio. 9. Socius socio utrum eo nomine tantum teneatur pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicuti is, qui deponi apud se passus est; an etiam culpæ, id est, desidie atque negligentie nomine, quaesitum est: prævaluit tamen, etiam culpæ nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim, talem diligentiam communibus rebus adhibere focium, qualem suis rebus adhibere solet. Nam, qui parum diligentem focium sibi adsumit, de se queri, sibi que hoc imputare debet.

I.

Societas est contractus consensualis, b. f. §. 28. J. d. act. de re, item opera ad faciendum commune lucrum communicanda. l. 5. §. f. l. 9. ff. b.

II. Societas dividitur (1) ab objecto in universa-

versalem & particularem, universalis est vel omnium bonorum s. generalissima, quæ omnia sociorum bona præsentia & futura quocunque titulo honesto, s. oneroso, sive lucrativo quæsitæ, complectitur. PR. F. b. l. 3. §. 1. ff. b. Hæc in- Pr. I. h. æqualia commoda & onera recipit. a. l. 66. l. 52. §. 16. ff. b. vel bonorum simpliciter seu generalis in qua omnia, quæ ex quæstu s. ex negotiatione proveniunt, communicanda sunt. l. 7. ff. b. Societas particularis est, in qua ex certa negotiatione provenientia communicantur. PR. F. b. l. 52. §. 5. ff. b. (2) a modo contrahendi dividitur in societatem Sortis, qua eorum, quæ conferuntur, proprietates communicatur. l. 58. ff. b. & societatem interusurii, qua eorum, quæ conferuntur, fructus & lucrum communicatur. d. l. a. §. 2. I. h. §. 11. F. b. l. 44. ff. b.

III. *Societas intendit lucri communicationem, partibus autem lucri & damni conventionem non determinatis, observanda est æqualitas legitima. §. I. F. b. æstimanda ex circumstantiis operæ, industriæ, pecuniæ collatæ. l. 6. ff. b. boni viri arbitrio. l. 76. ff. b. Partibus determinatis (1) explicite partes expressæ, licet inæqualiter, servandæ sunt, ut puta si pacti sint socii ut (1) ad unum duæ partes lucri & damni pertinerent, ad alterum tertia. §. I. F. b. (2) ad unum lucri duæ partes pervenirent, damni tertia, & ad alterum duæ partes damni, lucri tertia. §. II. F. b. §. 2. I. h. (3) unus pecuniam conferret alter operam, & tamen lucrum commune esset. d. §. L. 1.*

C. b. (a) (4) *Lucri partem socius ferret, de damno non teneretur. d. §. II. (b) neque enim quicquam prohibet, inæqualitatem constitui etiam animo donandi. a. l. 38. ff. d. contr. emt. (2) implicite, e. g. in lucro solo vel solo damno, in eo quoque, quod prætermisum, eadem pars servanda venit. §. III. f. b. l. 10. ff. d. R. f. j. l.*

§. 3. I. h. 13. §. 1. ff. commod. (c)

IV. *Societas producit Actionem pro socio* utrinque directam, quæ est Civilis, b. f. rei persecutoria, & datur *socio*, ejusque hæredibus adversus *socium* ejusque hæredes l. 63. §. 8. ff. b. ad hoc, ut *lucrum communicet. l. 3. C. b. damna* §. 9. I. h. *lata levique culpa data resarciat. §. IX. f. b. l. 3. §. 2. ff. commod.* expensas in societatem factas restituat. l. 44. ff. b. & omne, quod ex natura societatis & conventionem partium debetur, præstet. *Spectanda est autem culpa b. l. in concreto, i. e. juxta consuetam socii diligentiam. d. §. IX.*

V. *Societas solvitur* (1) *mutuo dissensu l. 65. §. 3. ff. b. l. 35. ff. d. R. f. nec non temporis definiti lapsu. l. 65. §. 6. ff. b. (2) renunciatione unius, licet tacita, veluti separata negotiatione. l. 64. ff. b. licet pacto perpetua societas inita sit. a. l. 14.*

(a) *Societas uno pecuniam altero operam conferente contrahi potest. l. 1. C. b. §. 2. f. b.*

(b) *In societate non intelligitur lucrum, nisi omni damno deducto, neque damnum nisi omni lucro deducto. l. 30. ff. b. §. 2. f. b.*

(c) *Secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. l. 10. ff. d. R. f. & vice versa. a. l. 13. §. 1. ff. commod.*

L. 70.

L. 70. ff. b. (d) sed renunciatio fiat *bona fide*, quod si enim *dolosa* fuerit, e. g. ex calliditate, quo renuncians solus caperet lucrum alias communicandum, profecta, *socium, cui facta est renunciatio*, a renunciante, non autem renunciantem a necessitate lucrum captatum communicandi liberat. §. IV. J. b. l. 65. §. 3. ff. b. (3) §. 4. I. h. morte Socii naturali, item civili. l. 63. §. f. ff. b. ut Banno imperii. O. C. P. 2. t. 9. §. 2. Quia, qui societatem contraxit, certam sibi personam elegit. §. V. J. b. ita ut ne quidem ex pacto societas ad §. 5. I. h. heredes regulariter transeat. l. 59. ff. b. l. 65. §. 11. ff. b. Quamvis ad eos transmittatur actio pro socio, l. 63. §. 8. ff. b. ex obligatione ante nata, item dolus & culpa in eo, quod ex ante gesto pendet, tam ab hærede, quam hæredi præstanda sit. l. 65. §. 9. ff. b. nec non cceptum a defuncto negotium hæres habilis perficere queat. l. 42. ff. b. & sufficit mors unius, etli plures adsint, nisi aliud conventum sit. §. V. J. b. (4) *Negotio*, propter quod inita est, finito. §. VI. J. b. l. 65. §. 10. ff. b. (5) *Bonorum amissione per publicationem* s. confiscationem. §. VII. J. b. tum enim socio fiscus succedit. a. l. f. ff. d. bon. eor. qui mort. sibi consciv. §. 7. I. h. item per *bonorum cessionem*, postremo autem casu & novo consensu nova constitui potest societas. §. VIII. J. b. & per solam cedentis operam §. 8. I. h. constituta haud dissolvi. a. d. §.

(d) *In communionem nemo compellitur invitus detineri.*
l. 5. C. comm. div. l. 14. ff. pro soc.

TIT.



TIT. XXVII.

De Mandato.

*Divisio a fine.**Ex Cajo l.
2. mand.*

Mandatum contrahitur quinque modis: five sua tantum gratia aliquis tibi mandet, five sua & tua, five aliena tantum, five sua & aliena, five tua & aliena. At si tua tantum gratia tibi mandatum fit, supervacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio nascitur.

*Si mandantis gratia mandetur.**Ex d. l. 2.
mand.*

1. Mandantis autem gratia intervenit mandatum: veluti si quis tibi mandet, ut negotia ejus gereres, vel ut fundum ei emereres, vel ut pro eo sponderes.

*Si mandantis, & mandatarii.**Ex d. l. 2.
mand.*

2. Tua gratia & mandantis: velut, si mandet tibi, ut pecuniam sub ufuris crederes ei, qui in rem ipsius mutuaretur; aut, si volente te agere cum eo ex fidejussoria causa, mandet tibi, ut cum eo agas periculo mandantis: vel, ut ipsius periculo stipuleris ab eo, quem tibi deleget in id, quod tibi debuerat.

*Si aliena.**Ex d. l. 2.
mand.*

3. Aliena autem tantum causa intervenit mandatum: veluti si tibi aliquis mandet, ut Titii negotia gereres, vel ut Titio fundum emereres, vel ut pro Titio sponderes.

*Si mandantis, & aliena.**Ex d. l. 2.
mand.*

4. Sua & aliena: veluti si de communibus suis & Titii negotiis gerendis tibi mandet, vel ut sibi & Titio fundum emereres, vel ut pro eo & Titio sponderes.

*Si mandatarii, & aliena.**Ex d. l. 2.
mand.*

5. Tua & aliena: veluti, si tibi mandet, ut Titio